

quibus supra, quod deminus Marsilius de Carraria integraliter gaudebit redditibus et bonis suis, que habebat antequam exiret de Padua; et quod non fiet ei aliqua novitas in bonis suis; facientes ex nunc dictum dominum vicarium debitorem de hoc ducali dominio et communi Veneciarum; et quod ipse dominus Marsilius possit ipsa bona conducere vel conduci facere Venetias tanquam Venetus et civis Venetus. Voluerunt dicte partes nominibus antedictis et solepniter convenerunt, quod dictum capitulum cassetur et irritetur et pro cassato et irritato habeatur. Et quod vigore dicti capituli prefatus dominus et commune Padue dictis domino duci et communi Veneciarum non sint in aliquo obligati. Item quod in non specificatis et non determinatis in presenti paece, stetur dicte altere paci ante presentem pacem inter partes predictas facte.

Ceterum suprascripti syndici, actores, procuratores, ambaxiatores et nuncii speciales egregii et venerabilis viri domini Federici comitis de Porcileis sede Aquilegensi vacante vicedomini Patrie Forijulii nomine et vice ipsius domini vicedomini ac dominorum consilii, parlamenti, prelatorum, nobilium, et communitatum ipsius Patrie Forijulii ex una parte et supradicti syndici, actores, procuratores, ambaxiatores et nuncii speciales prefatorum illustris domini ducis, consiliorum et communis Veneciarum nomine et vice dictorum domini ducis consiliorum et communis Veneciarum ex altera parte, pro se, civitatibus, terris, locis, subditis fidelibus, adherentibus, vallitoribus et sequacibus ipsarum partium et cujuslibet earum firmaverunt et contraxerunt sibi mutuo, invicem et vicissim et inter se bonam et veram pacem dirigente domino perpetuo duraturam. Et primo sibi mutuo invicem et vicissim remiserunt et remittunt omnia odia, rancores, injurias, offensas, cedes, vulnera, captiones, raptus, rapinas, incendia et alia quecunque dapna tam realia, quam personalia per dietas partes vel aliquos subditos ipsarum partium vel alterius earum seu adherentes, complices, vallitores, vel sequaces ipsarum partium vel alterius earum, communiter vel divisim contra reliquam